



# EPISTOLA

Gratum REGIÆ SOCIETATIS animum

DOMINO

MARCELLO MALPIGHIO

Pro munere prægresso contestata.



Uam Epistolam Societati Regiæ inscripseras, vir Celebrissime, recte nuper accepi, & prout jusseras, in publico ejusdem confessu lubentissime exhibui. Facile Ipsa agnoscit tum propensam Tuam in institutum suum voluntatem, tum solertem, qua vales, Naturæ scrutandi opera sagacitatem. In mandatis itaque mihi dedit, ut debitas quantocys gratias pro eximio isthoc munere Bombycino, ipsius nomine Tibi remitterem, deque singulari Ejus in Te & Studia tua affectu cer-



Epistola.

tionem Te facerem. Reputat equidem illa Philosophorum Corona, genuinum Te insistere tramitem, qui ad veram Adytorum Naturæ cognitionem ducit, dum missis Scholarum, Generalia fere hæcenus consuetantium, argutiis, ad res ipsas accurate contemplan- das & minutim eviscerandas mentem & manus addicis. Utque hæc animi sui de lucubrationibus & laboribus tuis sensa eo testarentur uberius, simul & suæ de Doctrina tua Existimationis monumentum statuerent publicum, mox utique in Sodalium suorum Album, conspirantibus omnium suffragiis, Te cooptarunt, simul & promptissime decreverunt, quamprimum se curaturos, ut Scriptum illud tuum, cujus dedicatione ornare Ipsam voluisti, suorum-met Typothetarum operis nitidioribus in lucem emittatur: qua quidem ratione curata hæc tua de Bombyce Historia eo commodius doctorum quorumvis sententias explorabit, ab iisque forsitan, ubi Tu necdum clare cernis, ampliorem aliquam lucem fænerabitur.

Cæterum



Epistola.

Ceterum, Vir Clarissime, cum insuper abunde adeo lubentiam tuam nobis significes, aliis porro meditationibus & studijs tuis supellectilem nostram Philosophicam augendi, amabamus equidem ulnis id-ipsam amplexamur, Tibique vicissim quaecunque proficisci a nobis officia possunt sinceram mente pollicemur. Illud sane praeter caeteris (quod jam ante-hac innui) in votis habemus, ut quorumvis locorum cordati Philosophi Historiam suam quique Regionis Naturalem, genuinam illam quidem & probe elaboratam, condere satagant. Ad tale quid audendum complures variarum Terrarum viros sagaces stimulare jam cepimus, spesque haud levis nos succollat, Te Tuique similes in Italia Naturae mystas, quae per locupletissimam Patriam vestram Siciliamque notatu digna occurrerint, sedulo collecta congestaque literarum deinceps monumentis summa fide tradituros, inque Gazophylacium Philosophicum, concinnandae aliquando Historiae Naturae Universali destinatum, liberalissimè collaturos



Epistola.

turos. Quo præstito, fore omnino confidimus,  
posteritatem nostram, quantum libet seram,  
excussâ isthac rerum quarumvis Natura-  
lium segete, solertique instituta omnium inter  
se comparatione subacti iudicii adminiculo, so-  
lidum inde & humanis usibus accommoda-  
tum Philosophiæ Systema condituram.  
Vale, Vir Clarissime, & plurimum  
salve à

Tui Studiosissimo

Londini, 25  
Martii, Anno  
1669.

HEN. OLDENBURG.

Soc. Reg. Secr.



